

BIBL.  
UNIVERSITÉ  
M.S.  
689

FACULTÉ  
DE  
THÉOLOGIE  
DE PARIS  
THÈSES

UNIVERSITÉ DE PARIS



BIBL.  
DE  
L'UNIVERSITÉ  
MS.  
689



Volume de 272 feuillets  
(moins 43, 189, 220 à 223, 253 )  
20 Juin 1912






~~haut~~

Licence M<sup>r</sup> l'abbé Souguin

62

M<sup>r</sup> l'abbé Loyson



Probabilismus

James M. [unclear]

M. [unclear]

De Probabilismo.

Thesis  
pro Licentia.

De Probatione.

et  
pro Vicaria.

1.  
64

Quaestio moralis.  
de  
Probabilismo.

---

I  
Quaestio exornitur.

Diu et acriter inter Theologos dimicatum est ut recte definiretur quanam agendi ratio sit tenenda in conflictu duarum opinionum probabilium, quarum una rem esse licitam, altera illicitam docet.

Utrisque super hanc quaestionem in absolutissimas propositiones devenerunt; quidam enim eo usque ierunt, ut sequi opinionem minus probabilem minusque tutam licitum esse docuerint; et per opinionem probabilem intendebant eam qua unius tantum doctoris nititur auctoritate. Hi Probabilistae vocati sunt.

Alii, e contra, contenderunt nunquam licere securam conscientiam sequi opinionem quantumvis probabilem, sed semper opinione niti certam et indubiam in agendo oportere. Hi vocati sunt Antiprobabilistae.

Admissâ hâc posteriore sententiâ, in infinitis  
propiè circumstantiis, in quibus necessariò agendum est,  
nunquàm è dubio expediri, proindeque agere securè poterunt.

Oportuit igitur, inter hæc extrema quæri quoddam  
medium rationale quo fulti, quasi firmo fundamento,  
non in fatali peccandi periculo miserè constitueremur.  
Inter theologos et casuistas, hoc opus, hic labor fuit.

Probabilismi quæstio contraversa inter difficillimas, argu-  
tissimas et implicatissimas quæ tractentur in theologia  
moralis versatur. Sedulo quæstio directa ab indirectâ  
secernenda est; et varia principia directa et indirecta  
discutienda sunt. Hæc quæstio gravissimis theologia innec-  
titur quæstionibus, v. g. prudentiæ, legum, actuum humano-  
rum, honestatis, ignorantia, etc. Igitur quàm magni  
sit ponderis facile innotescit.

## II.

### Quædam notiones præmittuntur.

Antequàm rem velis adoriamur apertis, quædam  
notiones præmittendæ sunt.

Primum, dicendum est huc non esse sermonem  
de opinionibus speculativis, quæ rerum essentias et proprie-  
tates contemplantur; sed de opinionibus practicis, quæ  
operationes morales dirigunt, et legem æternam nobis  
applicant, dum illas operationes tanquàm honestas vel

saltem licitas proponunt, vel dum illas ut illicitas representant; movent enim ad operandum, vel ab operando retrahunt. Movent ad operandum, quia exhibent actionem ut licitam, removendo iudicium à malitiâ illius actionis; retrahunt ab operando, quatenus ingerunt prudens iudicium certumque timorem de peccato incurriendo, si talis actio exerceatur.

Hic termini nitide definiendi sunt.

Opinio versatur inter dubium et certitudinem

Dubium est suspensio iudicii ob defectum vel insufficientiam rationum quibus mens determinatur ad alterutram contradictionis partem.

Qui dubitat non opinatur, nullum fert iudicium de questione propositâ, sed hæret fluctuans inter duo contradictoria, neutri adhaerendo.

Dubium dicitur negativum quando quis abstinet à ferendo iudicio ob defectum rationum; dicitur autem positivum, quando non defectus, sed insufficientia rationum causa est fluctuationis mentis. In priori casu, quo nulla suppetunt motiva quæ possint determinare iudicium, est simplex nescientia rei, si ita loqui fas est, in secundo autem casu; quo occurrunt motiva apparenter aequalia, intellectus in vero dubio versatur.

Dubium positivum, ex quo procedit probabilitas, de quâ agitur in hac dissertatione, dividitur communiter in speculativum et practicum.

4.

Speculativum illud est quod nullum habet ordinem ad mores, sed pro objecto habet legem, seu rem secundum se spectatam, prescindendo ab actione, v. g. an tale bellum sit iustum, an talis lex existat, an eo vel altero sensu debeat interpretari.

Practicum illud est quod refertur ad honestatem actionis ponendae, consideratae cum suis omnibus circumstantiis, ut si dubites an tibi liceat die dominicâ tali labori incumbere.

Dubium istud practicum sponte et semper i dubio speculativo emerget, si standum foret solummodo principiis directis petitis à re ipsâ in se consideratâ.

Verum si attendatur ad principia, ut aiunt, reflexa, non semel continget quod, non obstante dubio speculativo, nullum sit dubium practicum, quia haec principia suam certitudinem in actionis honestatem reflectunt.

Unde conscientia dubia in eo consistit quod intellectus practicus nihil dicat de honestate vel inhonestate actus, ob varias quae in oppositum militant rationes.

Certitudo est iudicium firmum de rei veritate, excludens formidinem errandi. Varios habet gradus. Alia est enim certitudo quae omnimodam formidinem excludit, ut quae rerum fundatur essentialis; alia quae eò usque non progreditur, nec omnem excludit possibilitatem erroris, sed tamen talis est ut vir prudens simpliciter adhaeret

propositioni absque ullâ rationabili anxietate; in moralibus communiter aliam non habemus certitudinem, unde ista certitudo moralis vocatur.

Opinio est assensus mentis alicui propositioni cum aliquâ rationabili errandi formidine, vel, juxta D. Thomam, opinio est actus intellectus qui fertur in unam contradictionis partem cum formidine alterius.

Opinio igitur medium tenet inter dubium et certitudinem; et discrimen illud quo à certitudine et dubio separatur, è discrimine oritur rationum quibus mens agitur, vel è modo diverso quo ille rationes mentes movent.

Diversæ sunt opinionis divisiones.

Dividitur 1<sup>o</sup> in tutior et minus tutam. Ea opinio tutior vocatur quæ minori periculo peccandi exponit agentem; minus tuta ea est quæ majus supponit periculum. Illa divisio refertur ad observantiam legis; sic in conflictu duarum opinionum, ea tutior est quæ declarat actum esse prohibitum, et tenet pro lege; minus autem tuta ea est quæ actum esse licitum docet, et à lege recedit. Major enim adest securitas in eâ opinione quæ declarat actum esse prohibitum aut imperatum, quam in eâ quæ illum esse permissum aperit.

Dividitur 2<sup>o</sup> in probabilem et improbabilem. Ea opinio probabilis est quæ nititur motivo quidem fallibili, sed magni momenti, i. e. fundante exiguum

formidinem, et quod tale apparet operanti, citra passionem et culpam, post debitam veritatis inquisitionem; parum refert utrum motivum sit intrinsecum vel extrinsecum: intrinsecum illud est quod petitur à naturâ rei de quâ agitur; extrinsecum verò ab auctoritate deducitur.

Ea opinio est absolute vel relative probabilis. Distinctio ista non repetitur à parte objecti, in quo nulla est probabilitas, sed absolute veritas aut error; deducitur verò à parte motivorum, prout talia sunt quæ moveant etiam doctos, vel solum ignaros: Sic auctoritas parochi est motivum grave respectu fidelis indocti, leve autem respectu doctoris.

Dividitur tandem opinio probabilis in probabilior et minus probabilis. Ista distinctio intelligenda est de duabus opinionibus quarum utraque seorsim spectata fundatur motivis gravibus quæ inclinare possunt prudentem virum ad assensum, licet motiva unius urgentiora motivis alterius videantur, et tunc illa vocatur probabilior, ista minus probabilis.

Ex dictis triplex effingi potest hypothesis de statu mentis relative ad aliquam sententiam, scilicet dubii, certitudinis et opinionis, unde liquet quid intelligatur per conscientiam dubiam, certam et probabilem. In quovunque hujus triplicis conscientia

67 7.

statu, semper licet practice opinionem tutiorem, sicut  
et certam, sequi, ut patet. Sed agitur quæstio  
relative ad dubium et opinionem probabilem. Hæc  
est ipsa gravissimi momenti quæstio quæ longis et  
intricatissimis Theologorum disputationibus inedita,  
etiam nunc sub iudice pendet.

III.

Origo controversiæ.

Exeunte sæculo XVI, exorta sunt disputationes  
de delectu opinionum in praxi, et duobus inde sequentibus  
sæculis usque nunc, varia discussa sunt de Proba-  
bilismo systemata.

Dominicus Soto et Bartholomæus Medina, gravis-  
simi Ordinis Prædicatorum Theologi, præ cæteris Doc-  
trinam probabilitatis excolere ceperunt, et inde cuncta  
integro penè sæculo satis pacatè ac quietè acta sunt,  
dum multi et gravissimi Theologi eam doctrinam magnâ  
cum simplicitate profitebantur.

Verum, ubi Jansenistica secta in Galliis potissi-  
mum et Belgio caput extulit, ingens in discrimen  
adducta est vetus doctrina. Jansenista enim cum probe  
cernerent, quin et sentirent, aliquos è societate Jesu  
doctores impiis eorum et fraudulentissimis conatibus se  
velut murum opponere, atque è latibulis pestifera eorum

8  
dogmata magis magisque in lucem protrahere, odium  
ac furorem diu in animo conceptum tandem in  
universae Societatis nomen, famam ac doctrinam  
pleno alveo effuderunt. Quare cum ipsi magni  
cujusdam rigoris externi et sacrae disciplinae ecclesias-  
ticae pallio gravissimos errores suos obtegerent, id  
consilii inierunt ut benigniorem societatis doctrinam  
noxiae libertatis ac morum corruptelae patam accusarent.

Hos inter accusatores facile eminebat Blasius Paschalis,  
qui nomen Ludovici Montaltii sibi adsciscens,  
Litteras Provinciales male fausto partu in lucem edidit.

Hae litterae facetiis et salibus non minus quam  
innumeris mendaciis refertae, gravissimis piissimisque  
auctoribus absurdissimas et abominandas opiniones attri-  
buunt, de quibus ne cogitatio quidem mentem eorum  
invaserat. Alii hujus praedarissimi scriptoris aspectu,  
hoc idem probare conati, Probabilismi doctrinam,  
libidinosam summopere aridentem, ecclesiasticae disci-  
plinae non tam insidiantem quam insultantem  
proclamabant; auctores vero eam docentes, laxitatem  
praecones et buccinatores, cecos et duces caecorum,  
denique Christianorum seductores esse criminabantur.

Ita in benignam sententiam ejusque patronos  
Debacchari coeptum est; horum sub vexillo accusa-  
torum stipendium meruerunt Protestantes, et sic

28

Mosheim contra Societatis Jesu Doctores convicia et contumelias iteravit.

Atamen, non soli prædictæ Societatis Doctores, sed etiam ex omni ordine, et loco, et gente Doctores Probabilismum, ut infra videbitur, docuerant et docebant. Sed vis adversariorum ignem litibus suppedita vit, et conflictus invaluit et totam brevi spatiatu s invasit Ecclesiam. Multiplicia in morali bus orta sunt opinionum systemata, et quidam ex utraq ue parte doctores in extremas et perniciosissimas tum laxitatis, tum severitatis sententias abierunt.

Itaque, lite in morum periculum vergente, sancta sedes Apostolica opportunum duxit edere quasdam definitiones, quibus disputatio strictioribus inclusa limitibus à periculo removeretur.

IV.

Quanam definiuntur ab Ecclesiã.

Quidam Theologi quos Benignistas, aut Laxos seu Laxones vocant, nimium quam par est frena laxantes conscientia e, ad actionis licentiam non plus requiri docuerunt quam opinionis probabilitatem aliquam, licet tenuem et exiguam, undequaque demum illa accerseretur, sive à ratione, sive ab auctoritate. Alii, qui Rigorista aut Extremista

dicuntur, ab omni specie probabilitatis quantumvis magna, aut etiam maxima abhorrentes, semper et ubique id quod tutius est sequi oportere, quantumcumque probabilis foret contraria opinio, magno strepitu jactitantur. Priores deliquerunt benignitate, posteriores rigore. Singuli à viâ mediâ seu regiâ, quam omnis virtus præsertim moralis tenet, seu aberrarunt ad dexteram, seu ad sinistram declinarunt; singulorumque doctrina merito à summis Pontificibus tanquam noxia et disciplina morum adversa damnata est.

Anno 1679, ab Innocentio XI Damna<sup>ta</sup> fuit sequens propositio: generatione dùm probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, confisi, agimus, semper prudenter agimus. Hæc Ecclesie definitione opinionibus benignis limes imponitur sequens: Non licet sequi opinionem tenui tantum probabilitate innixam. Retunditur igitur scandalosa in quam quidam incidabant Casuista laxitas.

Aliunde anno 1690, sequens ab Alexandro VIII<sup>o</sup> anathemate profligata est propositio: Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. Igitur magna probabilitate suffultam quis secure sequi potest opinionem.

Ex his duabus definitionibus oriuntur hæc

duo principia: Non licet sequi opinionem tenuiter tantum probabilem; licet autem sequi opinionem valde probabilem. En duos velut cardines in opinionum probabilium usu; en duos lexitatis et severitatis fines inter quos debent incidere theologi catholici cujusvis scholæ sint affecla.

Sed inter hæc extrema diversis opinionibus relinquitur adhuc locus spatiandi. Probabilistæ suum systema propugnare possunt, offerendo licitum esse, in conflictu duarum opinionum, sequi minus tutam vel etiam minus probabilem, dummodo non <sup>præ</sup>probabilitate fundetur. Cautioristæ, eadem libertate donati, illasâ fide contendere queunt non sufficere ad securi agendum opinionem probabiliozem, sed requiri probabilissimam. Probabilioristæ, cum eorum sententia nulli fuerit censuræ obnoxia, inoffenso pede inter extrema gradiuntur.

Itaque inter opiniones utrimque damnatas interjici possunt hæc tres discutendæ propositiones:

1.º Licetne sequi opinionem minus tutam cum sit probabilior?

2.º Licetne sequi opinionem minus tutam minusque probabilem?

3.º Licetne sequi opinionem minus tutam

sequi probabilem?

De quibus nunc seorsim differendum est.

V

De propositionibus controversis.

Prima propositio, scilicet, an liceat sequi opinionem minus tutam probabilio-rem, communi casuistarum sententiã sensu affirmativo admittitur, non obstante quorundam rigidiorum Cutioristarum sententiã contrariã; quando enim opinio minus tuta est probabilior, adest quaedam certitudo moralis de actionis honestate, quae sufficit ut prudenter agatur.

Continua semper Ecclesiae praxis fuit, ait Brocardus, ex opinionibus concurrentibus probabiliores et securiores eligere.

Hanc regulam tenuit pluries ipsa Ecclesia, v. g. in Concilio Viennensi. Disputabant Theologi an pueri simul cum remissione peccati originalis haberent infusam gratiam habituales cum habitibus virtutum. Quidam pro negativã tenebant, et eorum rationes non spernendã videbantur; alii verò cum S. Thomã affirmabant; et hanc secundam sententiam, inquit Clemens V, sanguam probabilio-rem, et dictis sanctorum et

70

doctrinam modernorum Theologia magis consonam,  
sacro approbante Concilio, Duximus eligendam.

Secunda propositio, id est, an liceat sequi  
opinionem minus tutam minusque probabilem,  
nunquam ab Ecclesia positive ex opinionum  
dominio exclusa est, quamvis eam Clerus Gallicanus  
anno 1700, damnaverit. Quidam tamen Probabiliorista,  
ejusmodi opinionis consecretaria metuentes, hujus dam-  
nationem provocare diu sategerunt. Ita Innocentius  
XI, quandiu clarum Ecclesia tenuit, ab iis opportunè  
importunè concitatus est ut sequentem damnaret propo-  
sitionem: licitum est sequi opinionem minus probabilem,  
quæ verè sit probabilis; sed auditâ litigantium  
utrâque parte, nunquam se exorari passus est  
ut id ageret et adversantium zelo patrocinaretur;  
neque ullus tunc Pontifex adigi se ad id permisit,  
quamvis plurimas alias propositiones singulares, ac opinio-  
nes seu laxiores seu rigidiores à conscientia morumque regno  
Summi Pontifices proscripserint.

Hæc igitur propositio adhuc Theologorum  
disputationibus ab Ecclesia relinquitur. Atqui, ab  
his communiter rejicitur, et merito. Nam, secundum  
D. Thomam (2. 2. Q. 49, art 7. in o): ad prudentiam  
præcipue pertinet rectè ordinare aliquem in finem,  
quod non fit nisi et finis bonus sit, et quod ordinatus

ad finem sit etiam bonum et conveniens fini;  
 porò voluntas non potest secundùm regulas movere  
 intellectum ut assentiatur parti minus probabili  
 stanti pro libertate, relictâ probabiliore stante pro  
 lege vel præcepto; nam ut illa motio sit secun-  
 dùm prudentiæ regulas, oriri debet, juxta D.  
 Thomam, ex intentione finis honesti; finis autem  
 potissima è quâ nunquam recedere debet Christianus  
 est æterna felicitas: atqui motio quâ voluntas premit  
 intellectum ut assentiatur parti minus tuta minus-  
 que probabili, non potest oriri, ut patet, ex inten-  
 tione salutis procurandæ, nec à voluntate dispositâ  
 ad implendum omnia Dei præcepta.

Aliunde, in casu de quo agitur, cum  
 opinio tutior sit etiam probabilior, adest certitudo  
 moralis de legis existentia quæ non permittit tuto  
 sequi opinionem libertati faventem; quod dilucidè sic  
 breviter exponit B. Ligorius: Cum opinio tutior  
est certè probabilior, eo casu, quamvis lex omninò  
certa non sit, tamen, propter illam majorem proba-  
bilitatem, opinio pro lege videtur moraliter verior,  
et consequenter etiam lex moraliter sive sufficienter  
promulgata, et ideo lex nequit dici tunc omninò  
dubia dubio stricto; remanet tantùm, eo casu,  
aliquod dubium latum quod non permittit ab

opinionem tutiore discedere. (Tract. de Conscientiâ).

Amotis nunc è contentione hisce duabus propositionibus quarum una laxitati proxima est, altera severitati vicinior, superest propositio tertia et media, nempe: an in conflictu duarum opinionum æquè probabilium, liceat sequi minus tutam.

Hæc est grandis totius controvertiæ questio cui præcipua in hæc nostrâ Dissertatione debetur dilucidatio.

## VI.

Licet sequi opinionem æquè probabilem.

Ineunte sæculo XVIII<sup>o</sup>, instigantibus Jansenistis, ut dictum est, multi Theologi rigidiorē amplexi sunt sententiam, docueruntque, in congressu duarum opinionum æquè probabilium, quemque teneri partem amplecti tutiorem.

At, vergente prædicto sæculo, vir non solum scientiâ, sed et sanctitate maximè conspicuus, P. Liguorius, episcopus, ut omnibus compertum est, Sanctæ Agathæ de Gothis, in regno Neapolitano, vexillum benignioris sententiæ iterum expandere adorsus est.

Primò, pro more temporum, opinioribus rigidioribus addictus, magno Probabiliorismi zelo

ardebat. Sed paulatim, miserandis tot animarum claudibus quæ ejus pedibus veniam postulatura procumbebant, permotus, longè speculationem abesse à praxi, doctrinam severiorem animabus esse perniciosissimam, nihilque confessorii, in salute peccatorum procurandâ, tam interesse quam remissius ergâ eos se interdum habere, ut è vitiorum ceno erepti deducerentur ad pietatem, opprime intellexit.

Itaque omnes libros Theologicos quotquot ad manus potuit habere, ut ait, evolvere aggressus est, secum in conscientia meditatus est, ut è calo sibi super vera principia lumen eliceret; attamen, non nisi post duos et viginti annos, inter studendum, meditandum, orandum, et animarum curam exercendum, suam in Theologiâ suâ Morali, super Probabilismo systema edidit, quo absolute sancitur licitum esse in concursu duarum opinionum aequè probabilium sequi minus tutam.

Vndiquè statim surrexerunt contradicentes; sed quandiu vixit, suam pertinaci contra innumeros adversarios animo tenuit et sententiam, quæ tandem ferè omne tulit punctum, et ad se etiam rebelliores adscivit casuistas. Quibuscum sit sequens

72 17.

Propositio:

In concursu duarum opinionum aequi probabilium  
licet sequi minus tutam.

Est probatur 1.º Ratione.

Hanc enim licitum est sequi opinionem  
speculativè probabilem quæ practicè ad certitudinem  
reducitur. Atqui, prædicta opinio ad certitudinem  
practicam, ope principiorum, ut aiunt, reflexorum  
rationabiliter reducitur.

Nam, ex principio universaliter admissis,  
lex dubia non obligat. Notum est hoc effatum  
juris: in dubio nullus præsumitur obligatus.

Itaque B. Thomas hanc promittit sententiam:  
Nullus ligatur per præceptum, nisi mediante  
scientiâ hujus præcepti. Item Suarez: Quando, ait,  
est iudicium probabile quod nulla sit lex prohibens  
vel præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter  
proposita, vel promulgata homini; unde cum obligatio  
legis sit onerosa et quodammodo odiosa, non urget  
donec de illâ constet. Jam vero si promulgatur lex dubia,  
ut ait B. Gregorius, promulgabitur duntaxat dubium,  
opinio, sed non promulgabitur lex.

Ratio dicitur etiam ignorantiam invincibilem ex-  
cusare à peccato formali; at-qui, quando omnibus

maturè pensatis, dubium exiuti nequit, lex invincibiliter ignoratur; posito igitur quòd lex verè existat, nullam imponit in foro conscientie obligationem. Cum autem dubium equilibrio ponderatur circa veritatem vel falsitatem alicujus opinionis, id est, quando duæ opiniones sunt æquè probabiles, verè dubia est lex et non obligat.

Præterea, non est major obligatio servandi legem dubiam, quàm assensum præstandi revelationi dubiæ, lex enim dubia non magis interest ordinis moralis, quàm revelatio dubia refert religionis; leges quæ voluntatem afficiunt nequeunt esse legibus quæ intellectum spectant rigidiores, neque majori læduntur violatione leges morales quàm dogmaticæ: atqui nullo modo revelatione dubiâ stringitur intellectus, ergò nec lege dubiâ voluntas. Parvi refert utrum versetur dubium circa legis existentiam, vel circa ejus sensum, extensionem, applicationem, etc. semper enim dubitatur an sit lex prohibens vel imperans.

Probatur iterum nostra propositio hoc aliò principio reflexo: In dubio melior est conditio possidentis. A qui cum de lege dubitatur, libertas possidet et melior est ejus conditio.

Hoc itaque principium ad multas difficultates practicè solvendas aptum est. In casu

enim dubii, libertas naturalis et lex veluti in conflictu sunt; igitur in alterutrius favorem erit pronuntiandum, prout alterutra fuerit possidens.

Quod ita explanat B. Gregorius: Nos dicimus, inquit, aliquando possidere legem, aliquando possidere libertatem; casu quo possidet lex, pro eâ standum est; si vero possideat libertas, standum pro libertate. Ad dignoscendum autem pro quâ parte in dubiis stet possessio, videndum pro quâ stet præsumptio. Præsumptio autem stat pro eâ parte quæ non tenetur ipsa factum probare; sed onus probandi in alteram transfert, factum enim non præsumitur nisi probetur. Res illustratur exemplo: aliquis in sabbato dubitat an transierit hora media noctis, tum nequit vesci carnibus, cum adhuc possideat præceptum abstinentiæ; secus autem si quis de hoc dubitet in feriâ quintâ, illi enim in hoc dubio carnem edere licet, cum adhuc possideat libertas.

Ratio fundamentalis huius principii est repetenda ex axioma modo citato: factum non præsumitur nisi probetur. Nam si certum sit legem esse latam, hæc respectu mei urget, quousque mihi persuadere possim ei satisfacisse convenienter, factum, seu observatio legis non præsumitur. Vice versâ, debemus remanere in naturali libertate

quam Deus singulis dedit, eos suo arbitrio dimittens erga ea omnia quae jure naturali permessa sunt, quoadusque constet hanc libertatem adimi per legem; alioquin versaremur in continuis anxietatibus, et subderemur oneri quod persaepe nec Deus nec ullus legislator nobis imposuerit. At, quandiu lex dubia est, ac de illa vel de illius sensu diverso et contrario modo opinari licet, certo non constat: ergo praevalet libertas, pro libertate stat praesumptio.

Veteres probabilistae tertium illud probabant principium reflexum: prudenter agit qui probabiliter agit. Hoc autem principium neque B. Ligorio, neque recentioribus, neque nobis arridet. Nam ex eo sacro eloquio: quod non est ex fide peccatum est, nunquam licet sequi opinionem practice probabilem. Haec est B. Ligorii doctrina cui plene adhaeremus. Itaque, ille qui, dubio speculativo non practice deposito, nihilominus partem minus tutam sequitur, non agit prudenter, sed imprudentissime, nam in dubio practico pars tutior semper est eligenda. Principium enim de quo agitur supponit quod adducitur in controversiam, scilicet conscientiae securitatem et prudentiam in sola

probabilitate; ergo nisi altero innitatur principio reflexo, ad efformandum conscientie dictamen in casu dubii minime aptum est: dictum illud, ait B.

Spigorius, si accipitur tanquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est; si vero accipiatur tanquam principium directum, seclusa iudicii reflexione, falsum est.

Probatur 2<sup>o</sup>. Doctorum et Theologorum auctoritate.

Hinc sententiae numerus Theologorum et doctorum prope infinitus patrocinati sunt. Evangelicae enim mansuetudini valde consona est, Domino dicente: Yugum meum suave est, et onus meum leve... misericordiam volo, non sacrificium... superexaltat misericordia iudicium, etc.

Itaque ab initio ista fuit Patrum doctrina explicitè vel implicitè tradita.

Sic Lactantius: Nisi de mandato certus exstiteris exequi non cogaris quod mandatur. (Lib. 3. Institut. c. 13 et 21.)

S. Augustini celebratur illud effatum: in dubiis libertas; et hoc aliud: quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum (Serm. 294).

S. Gregorius Naz. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas (Orat. 39.)

S. Leo Magnus: In his quae dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis S. Patrum

invenitur adversum. (Epist. 2.)

S. Bernardus: Sane ibi unusquisque in suo sensu secure abundat, ubi aut certa rationi, aut non contemnenda auctoritati quod sentitur non obviat.

(Epist. 77 ad Hugonem à S. Victore.)

S. Bernardinus: Quando diversa sunt opiniones, ceteris paribus, humanior preferenda est. (Serm. 3.)

Plurima ejus-modi allegari possent quibus clare demonstratur S. S. Doctores in dubiis Senere pro libertate, et ideo in nostra propositionis tutelam merito invocantur.

Nil mirum: ex ipso enim naturali dictamine in Jure tam civili quam ecclesiastico hac doctrina exarata est. Seguntur Lib. I Decretal. sequentia:

In re dubiã benignam interpretationem sequi non minus justius est quam tutius. — Semper in obscuris quod minimum est sequimur. — Semper in dubiis benigniora preferenda sunt. — Lex, si aliud voluisset; expressisset, etc.

Vasquez (1604), qui à cœtaneis Hispania Augustinus à Benedicto XIV Theologia lumen dictus est, ait eam sententiam, multò ante tempus quo scriberet, fuisse communem. Malitiosè à sectà jansenisticà Jesuita hanc doctrinam ab ipsis excogitatam propagasse arguti sunt, quasi totus

mundus se subito miratus esset Probabilistam, velut olim Arianum. Atqui, nedum Societatis doctores hac principia in orbem invexerint, plures inter eos Theologi rigidiores sententias liberrimè tuiti sunt, prout in Comitibus Societatis generalibus, Romæ, Innocentio XI regnante, congregatis, probè testatum est. Et contra, non solum antè celeberrimæ Societatis originem, communiter docebatur, ut modo dictum est, benigna sententia, sed etiam omnis Ordinis et gentis doctores eam tueri et pervulgare studuerunt. Præsertim præcipui Scholæ Thomisticae scriptores, vestigiis inhaerentes doctissimi sanctissimique Patris sui Thomæ dicentis inter alia multa: nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientiâ illius præcepti, clarissima hujus ipsius doctrina monumenta in suis libris reliquerunt, inter quæ hic sequentia memorare fas sit.

Bartholomæus Medina sic loquitur: Opinio probabilis in practicis est, quam possumus sequi sine periculo peccandi.

Didacus Alvarez: Potest, ait, sequi opinio practicè probabilis, relicta probabiliori. - Idem: tenet hanc sententiam noster Medina, et alii doctissimi Thomista.

Petrus Ledesma: Licet sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.

Dominicus Banney: Est licitum ex duabus  
opinionibus aequaliter probabilibus probabilitate  
practicâ eligere quam quis maluerit.

Joannes Hedeiphonsus Baptista: Non semper  
est eligenda necessario tutior sententia, sed potest  
eligi sententia verè probabilis, etiamsi minus  
tuta.

Hi nempe doctores, ut videtur, tenent pro  
opinionem probabili minus tutâ, et quidem  
plures etiam minus probabili, quod audiendum  
est de leviter minus probabili; quia in hac  
quaestione, quod est leve, teste ipso Liguorio, pro  
nihilò reputatur.

Hæc nimirum sententia, decursu temporis,  
magis magisque invaluit, omnesque universitates  
et scholas invasit. Quosdam sic acervatim memorat  
Seminentissimus cardinalis Gousset in suo libro  
cui titulus: Justification de la théologie morale du  
P. Alphonse Marie de Liguori.

Richardus Arkdekin, hibernus (1666), hujus sen-  
sentia 160 numerat theologos; Alphonsius de Sarasa,  
belgius (1667), 187; Verillus, eodem fere tempore, 200;  
Gobatus, germanus, 25; Moya, hispanus, plures  
alios; Praster, 250 et ultra, ex quibus 20 ad  
primas Ecclesie dignitates evecti sunt.

Si tanto numero addantur omnes qui, a fine  
 sæculi XVII<sup>o</sup> huic doctrinæ calculum dederunt; si attendatur ad id  
 quod asseruat doctissimus Bergier (Dict. theolog.) huic pro-  
 babilismo favisse omnium Ordinum religiosorum, Scholarum,  
 et regionum orbis consuetas; et tandem ad verba B.  
 Ligorii dicentis se plures episcoporum, abbatum, et aliarum  
creditarum personarum opiniones transcripsisse, quæ suum  
systema verum, et certum appellare non dubitabant, et insu-  
per notantis plures Probabilistas, v.g. Pontam et Gabassutum,  
 qui ipsius assertionem confirmant; si, inquam, hæc nume-  
 rentur auctoritates, quis ultra prædicare audebit illam doc-  
 trinam suffragiis carere, et, eâ admisâ, periclitari mores?

Probatur 3<sup>o</sup>. Summorum Pontificum et S<sup>æ</sup> Sedis  
 Apostolicæ declarationibus.

Si ex nostrâ propositione scaturiret morum  
 corruptela animarumque periculum, potuissetne hæc  
 doctrina Summorum Pontificum et Sanctæ Sedis  
 Apostolicæ auctoritate approbari et Sanciri?

Atqui inter cæteros eminet hujus opinionis  
 patronos doctissimus et sapientissimus Benedictus XIV,  
 qui in epistolâ privatâ ad B. Ligorium,  
 non dubitat declarare ejus theologiam fore omnibus  
 gratissimam et utilissimam: ella puõ stat  
sicura, ait, del gradimento universale et della  
pubblica utilità. Fateor equidem cum hæc, non

ut caput Ecclesia, sed titulo doctoris privati, profectum esse; verum neminem latet hujus preclarissimi Pontificis nomen maximam polle in questionibus Theologicis auctoritate, quippe qui, inter eruditissimos et piissimos novissimorum temporum Doctores numeratur. Igitur neque levitatis, neque adulationis instinctu predictis verbis sententiam suam promebat.

Deinceps, Grego XII palam habuit Gregorium in numero eorum doctorum quos Domini clementia ad religionis morumque tutelam suscitavit.

Sed solidissimo quo possit inconcussa stare qualibet Doctrina, i.e. apostolicam Sanctae Sedis auctoritate, haec nostra propositio firmatur.

Omniis notum est, antequam alicujus causa, motivo beatificationis, ad S. Rituum Congregationis tribunal introducatur, omnia ejus circa morum regulas et religionis veritates scripta et opuscula diligentissimam inquisitionem perpendi. Porro, B. Gregorii opera eo studiose discussa sunt quo a pluribus adversariis impugnarentur.

Primam vice et alteram, quaedam eorum capita acutioribus censorum scalpulis tradita sunt. Ex his experimentis orta est sequens Beati laus: In verbi Dei ministerio, in cathedra morum, in pastorali

officio, gregem salutaribus pascuis emutriebat.

Insuper, factâ diligenti omnium B. Ligorii operum revisione, edidit eadem S. Congregatio, die 18<sup>o</sup> Maii 1803, decretum, à P<sup>o</sup> VII. Pontifice Maximo confirmatum, in quo declaratur nihil in omnibus Ven. Servi Dei operibus tam impressis quam manuscriptis cenfurâ dignum repertum fuisse. Igitur moralis B. Ligorii doctrina à quoquam nequit reprehendi quin simul reprehendatur declaratio Summi Pontificis dicentis nihil proorsus in ejus libris reprehensione dignum contineri. Porro inter hæc B. Ligorii opera imprimis Theologia Moralis et plures Articuli in favorem Probabilismi numerantur. Idem Summus Pontifex in Bullâ beatificationis Servi Dei, eximias laudibus ejus doctrinam extollit.

Ex quo edita est Theologia Moralis B. Ligorii, omnes norunt eam Roma ut opus scholasticum usurpari, omnesque animarum directores ejus uti principis. Nunc igitur irreverenter ergâ Sedem Apostolicam se haberet qui moralem doctrinam in Urbe æternâ Ap<sup>o</sup>ribus à magistris, sub vigilibus sup<sup>o</sup> Pontificis oculis delibutam, sanctitati evangelicæ oppositam jactitaret?

Penissimè tandem doctrina de quâ agitur ipsâ S. Penitentiaria decisione solidatur.

Anno 1831, dubium sequens huic S. Tribunali

ab Eminentissimo Cardinali de Rohan Chabot,  
 episcopo Vesontino, propositum est: «Utrum Sacra  
theologia professor opiniones quas in suâ theologiâ  
moralis profitetur B. Alphonsius à Liguorio, tutò  
sequi possit ac profiteri? Au sit inquietandus  
confessarius qui omnes B. Alph. à Liguorio sequitur  
opiniones in praxi sacri tribunalis penitentiae, hâc  
solâ ratione quòd à Sede Apostolicâ nihil in operibus  
censurâ dignum repertum fuerit? Confessarius, de quo in  
dubio, non legit opera B. Doctoris nisi ad cognoscendum  
accuratè ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesque,  
quibus varia nituntur opiniones; sed existimat se tutò  
agere eo ipso quod doctrinam qua nihil censurâ dignum  
continet, prudenter judicare queat sanam esse, tutam  
nec ullatenis sanctitati evangelicâ contrariam.»

Sacra Penitentiaria, perpensis expositis, responden-  
 dum censuit: ad primum quæsitum: Affirmative, quin  
tamen inde reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis  
probatis Auctoribus traditas sequuntur. Ad secundum  
 quæsitum: Negative; habitâ ratione mentis S. Sedis circa appo-  
bationem scriptorum servorum Dei ad effectum  
Canonizationis (S. Julii 1831).

Ex hoc responso liquet: 1.° Quemque sacra  
theologiae professorem posse tutâ conscientiâ sequi  
et docere omnes opiniones quas ipse B. Liguorius

78

in suâ Theologiâ Morali profitetur 2.º Confessarium in S. Penitentia Tribunali posse tuto ex eisdem opinionibus practice se gerere, eâ solâ ratione quod nihil in ejus scriptis à S. Sede Apostolicâ censurâ dignum repertum est.

Insuper hæc eadem S. Penitentiaria decisio à Tuâ Sanctitate Gregorio XVI. sancita est, qui consilium Eminentissimi Cardinalis hanc responsionem in suâ Diocesi publicè apud Clerum promulgandi, specialique instructione pastorali commendandi, laudibus adjuvit.

Quæ cum ita sint, quisnam eo usque inconsultum se haberet, ut nostram propositionem non metueret damnare? Fatendum esset ejus animum cecâ astuare audaciâ, vel illi robur et as triplex circa pectus esse. Sed illud indè principium nulla vis labefactare quibit, nec denuò fiet unquam quod nova nescio quæ secta jansenistica sanam doctrinam putri nunc valeat infucare tabo.

Ergo in concursu duarum opinionum æquè probabilium licet sequi minus tutam.

Hanc autem propositionem accipimus in genuino B. Gregorii sensu quem dilucidius hic explanare opus est.

## VII.

Hujus opinionis sensus evoluitur. Conclusio.

Hoc systema à B. Ligorio proceditur et commendatur non eo sensu quòd opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas et propugnatas damnare liceat, id enim ipsa prohibet S. Penitentiaria, ut supra visum est, sed tantum eo sensu quòd sit licitum, sanctitati evangelicæ non contrarium, fidei rationique consonum et in practico animarum regimine consulendum.

Itaque in communibus rerum circumstantiis, pars tutior aut probabilior non est fidelibus imponenda, quanquam persapi sit consulenda, et quisque sibi eam practicè tenendam sapienter eligat.

Ex dictis clarè patet hoc systema plurimum à laxo probabilismo distare. Hæc nihilominus Probabiliorista laxitatis notam inusserunt, quam paucis verbis diluere operæ pretium est.

Probabilismus, lato sensu sumptus, est opinio eorum qui docent licere in dubio sequi opinionem quamlibet, dummodo aliquâ probabilitate nitatur. Hoc principio ducti Probabilista varia opinionum systemata plus minusve licentiam redolentia finxerunt. At his Laxistarum opinionibus discrepat valde B. Ligorii doctrina. Differt

79

enim à pernicioso laxismo sub triplici respectu:

1.º gradus probabilitatis quem expetit; 2.º criterii quo dignoscitur probabilitas, 3.º extensionis hujus systematis.

1.º Respectu gradus probabilitatis.

Probabilistæ, laxismo imbuti, per verbum probabilitatis intellexerunt probabilitatem vel minimam, dummodo à finibus probabilitatis non exeat; hanc esse docent rationem sufficientem, quâ quis innixus potest tutâ conscientiâ sequi opinionem minus tutam. Admissâ tali sententiâ, licet sequi non modo opinionem minus probabilem, sed etiam leviter et levissimè probabilem, i. e. eam quæ est probabilissima oppositam. Hanc sententiam cum Summis Pontificibus damnat S. Liguorius. Admittit quidem licere sequi opinionem minus tutam, quando est æque probabilis, vel levissimè tantum minus probabilis, nunquam autem licere ab opinione certè probabiliori recedere: quod si, ait, opinio quæ stat pro lege videatur certè probabilior, ipsam omnino sectari tenemur, nec possumus tunc oppositam quæ stat pro libertate amplecti.

2.º Respectu criterii probabilitatis.

Quidam Probabilistæ docebant opinionem unius tantum doctoris suffragio fultam sufficienter et reverâ esse probabilem; alii requirebant quindecim

doctorum suffragia, alii plurimum, alii pauciorum.  
Inde diversae bonis moribus funesta orta sunt  
opiniones, nempe:

1.º Licet puella procurare abortum ante  
animationem fetus.

2.º Licet retinere concubinam concubinario  
quando eam dimissa vitam transigret tristicius.

3.º Licet actori aut reo occidere judicem,  
cum ab eo iniqua timetur sententia.

4.º Licet judici in causa equali accipere  
pecuniam ab una partium, ut sententiam in  
ejus favorem ferat.

5.º Licet inducere testem ad jurandum falsum  
quod jurans quidem putat esse verum, ipse vero  
inducens scit esse falsum.

6.º Licet absoluto desiderio cupere mortem  
patris ad percipiendam ejus hereditatem.

7.º Licet ad evitandam mortem, vel gravia  
damna, falsum sibi crimen imponere, ac seipsum  
gladio lingua perimere.

8.º Advocatus potest patrocinari cause  
quam cognoscit esse injustam.

9.º Clericus potest in horis canonicis recitandis volun-  
tarie distrahi, aut quotidie recitare officium paschale, vel  
unicam recitationem officii obligationi duorum dierum satisfacere.

10. Probabile est monachos et quidem omnes à jejunii lege ac onere eximi.

Hæc his scandalosis opinionibus longè distat nostra propositio. Licet quidem sequi opinionem verè et certè probabilem; sed ut opinio sit talis requiruntur non tantùm unius vel quorundam suffragia, sed rationes ejus numeri et ponderis ut iis innixus homo quilibet possit, adversariorum etiam judicio, ad operandum determinari.

3. Respectu extentionis hujus sententia.

Probabilistæ laxi suum systema ad omnia cujusvis naturæ dubia extendebant. Systema autem P. Ligorii non potest, ut ipse prædicat, omnimodis dubiis applicari.

Hoc est autem principium quo distinctio circumstantiarum dignoscitur. Secluso casu quo aliquis mandato superioris, vel voto, vel conditione invitâ tenetur sequi in dubiis partem tutiorem, tenetur quisque in conflictu opinionum partem tutiorem sequi relictâ minus tutâ etiam probabiliori, quando ex errore speculativo sequuntur detrimentum grave seu in spiritualibus, seu in temporalibus, quod avertere non potest principium reflexum conscientiam efformans, et necessitate agendi non compensatur. Ratio hujus principii est evidens: nec caritas, nec prudentia humana permittit ut ponamus causam licet

remotam, i. e. parum probabilem hujus Detrimenti, nisi ad sic agendum adigamur aliquâ necessitate proportionatâ gravitati hujus periculi.

Indè 1<sup>o</sup>. Ubi agitur de verâ religione pars minus tuta eligi nequit. Ita Henricus IV, inclitus Galliarum rex, cum in colloquio inter catholicos hereticosque Calvinii ministros celebrato, intellexisset e posteriorum sententiâ hominem piè ac rectè cateroquin viventem, in fide catholica salutem obtinere posse, è priorem verò constanti assertione extra veram fidem Ecclesiamque catholicam nemini viam ad cælum patere, sapientissimè conclusit viri prudentis esse in salutis negotio tutiorem viam sequi, eamque amplecti religionem in quâ, singulorum suffragiis, salus æterna obtineri possit; illam verò dimittere, scilicet calvinianam, in quâ partis alterius judicio nulla salutis spes reluceret.

Item, quando agitur de re aliâ quâcumque necessariâ necessitate mediæ ad salutem, ut baptismi validitate; tunc non licet sequi opinionem minus tutam, ne quidem probabilissimam; nam, si fortè sit error, nullum est dictamen conscientie quod in infante suppleat sacramentum.

2<sup>o</sup>. In conferendis sacramentis illicitum est sequi opinionem probabilem relictâ tutiore, quia valor Sacramenti non pendet à nostrâ intentione, sed à

81

reali applicatione materiae et formae, atque ceterorum quibus constituitur.

3.<sup>o</sup> Quando opinio favens libertati proximius reddit periculum peccati formalis, ut si dubitetur an talis occasio sit proxima respectu poenitentis, necesse est quantum prudentia Christiana permiserit tutiora sequi; in eo adhuc casu malum spirituale non potest averti per principium reflexum: tunc ait B. Ligorius, semper expedit ut Confessarius utatur, imò dico quod ipse, ut medicus animarum, tenetur uti opinionibus auctoribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt.

(Systema morale).

4.<sup>o</sup> Ubi periculum damni temporalis à nostro actu imminet, ut in casu medicamenti ex quo mors aegroti sequi potest, etc. etc. Itaque medicus tenetur adhibere pharmacum probabilius curativum; et iudex debet in iudicando sequi probabiliorē sententiam. Et enim, praeter communem auctoritatem, quae ita docet, ratio ipsa non solum suadet, sed penitus decernit quod qui tenetur ex justitiā aut caritate proximo succurrere in re gravi, debet tutiora media adhibere; aliter injuste aut injuriose exponeret proximum gravi periculo aut vitae, aut fama, aut fortunarum, cum effectus in his rebus non ab opinione, sed à facto vel utili, vel inutili, vel nocivo pendeat.

In his et similibus casibus, comparari simul

debent gravitas et probabilitas periculi cum facilitate aut difficultate eligendi tutius, ut inde concludatur quid agere liceat; manifestum est enim jus naturale cō magis imperare vitationem periculi, quō majus malum nobis vel proximo inferre posset actus, et facilius est illud ab eo actu abstinendo præcarere.

Hic est igitur B. Ligorii Probabilismus: non morum corruptelam inducit, nec à S. Sede unquam male fuit notatus. Hinc sine ullâ laxismi notâ Benignum etiam vocamus; sed et Legitimum quem suadent utraque lex naturalis et positiva; et Dominicanum quem illustris Dominicanorum Ordo jam à primis temporibus est amplexus; et Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas et plures opiniones libertati faventes in suis Sententiarum libris docet; et Jesuiticum, utpote à Jesuitis contra Jansenianos furores propugnatus; et tandem Christianus qui Christi Domini verbis suavissimis admodum consonat. Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi Probabilismi, sub protectione innumerorum totius orbis christiani Theologorum, Doctorum et sanctorum, et in umbra S. Sedis Apostolica commorabitur securus.

A. Puzos

uni. P. Bourne.

Slenchus dissertationis.

I.	<i>Quaestio exponitur.</i> . . . . .	1.
II.	<i>Quaedam notiones praeviae.</i> . . . . .	2.
III.	<i>Origo controversiae.</i> . . . . .	7.
IV.	<i>Quanam definiuntur ab Ecclesia.</i> . . . . .	9.
V.	<i>De opinionibus controversis.</i> . . . . .	12.
VI.	<i>Sicet sequi opinionem probabilem.</i> . . . . .	15.
VII.	<i>Hujus propositionis sensus evolvitur.</i> . . . . .	30.
	<i>Conclusio.</i>	

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or introductory paragraph, written in a cursive script.

- I. Spectre experimentum
- II. Spectrum visibile
- III. Spectrum invisibile
- IV. Spectrum diffusum
- V. Spectrum refractum
- VI. Spectrum reflexum
- VII. Spectrum refractum et reflexum

Handwritten text in the middle section, likely a detailed description or explanation of the experiments listed above.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a conclusion or a signature.

83

